



ULB Halle 3  
005 090 865



08 B 200, Kapsel (21)





29  
Q. D. B. V.

**PROPOSITIONES  
HISTORICÆ,**

ad disputandum  
publicè propositæ,

*PRÆSIDE*

**CONRADO SAMUELE  
SCHURZFLEISCHIO,**


Historiarum Prof. Publ.

à

**M. NICOL. CHRISTOPH. REMLINGIO,  
CURONO,**

A. & R.

*Hab. in Auditorio Majori, M DC LXXVIII.*



*WITTENBERGÆ,*

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

G. D. B. V.

PROPOSITIONES  
HISTORICAE

ad disputandum  
publice proponitur

PRÆSIDI

CONRADO SAMUELE  
SCHWARZKOPFESCHIO,  
Historiarum Prof. publ.

M. NICOL. CHRISTOPH. REMLINGIO,  
CURON.

in studio juris MDCCCXXXIII

\*\*\*\*\*

ACTA

THE CHURCH OF SCOTLAND




08 B 200, Kapsel (27)





I.



Antiqua Belgii historia ex nemine minus peti potest, quam ex Dione, tùm quia quatuor deperditos historiae Livianæ libros, pro eo ac par erat, non supplevit, tùm quia Belgium propiùs non cognovit, tùm quia multa præteriit, quæ aliunde hauriamus, tùm quia pleræq; notæ numerorum & vocabula in eo sunt depravata. Quanquam hæc non impediunt, quominus Dionem inter prudentissimos historiae augustæ scriptores numeremus.

II. Is verò Belgas nullo alio, nisi Celtarum nomine appellavit, Cæsarisq; fidem alioqui secutus, Belgarum duntaxat vocabulum immutavit, Celtasq; est interpretatus, quos Cæsar Belgas vocavit. *vid. Dion. l. XXXIX. Collat. cum Cæs. ll. B. G.* Quod in mentem mihi venit mirari, propterea quòd multi, & nominatim Græci, qui ævo augusto florere scriptores, Belgarum nomen Græcè expresserunt.

III. Proinde haud levis fuit inscitia Latini interpretis, quum Belgas extulit, quos Celtarum

appellatione complexus est Dio, *l. XL. p. 140. edit. Xylandr.* Etsi enim usu Dionis significatione paria faciunt, tamen non integrum est mutare nomina, etiamsi ad amplius aliquid denotandum proferri cœperunt.

IV. Tum vero Dio semper sibi similis est, moremque hunc accuratè servat, ut Germanos quoque transrhenanos Celtarum nomine insigniat, Germanos autem cisrhenanos recepto Germanorum nomine constanter appellet.

V. Atqui vero Celtarum nomine etiam Galaræ, Gallorum coloniæ, sunt comprehensi, quod præter Polybium & Diodorum Siculum Plutarchus comprobat, qui Galatas vocat, quos quidem Gallos nos vocamus, *in Paulo Æmilio p. 261. edit. Xylandr.*

VI. Ex eodem palam aperteque constat, etiã prope Istrum incoluisse, quod indicio est, in supplementis Curtianis, quæ non sunt antiquiora sec. XV. perperam scriptos esse Germanos pro Celtis, *l. 2. suppl. p. mib. 11. Quem errorem secutus est Jacobus VVimphelingus epitom. cap. 5. p. 320.* Proinde Arrianus, quamlibet Curtio posterior, Celtas commemorat, quorum finibus etiam sunt comprehensi Pannonæ, à quibus Hunni Hungarique toto, quod ajunt, cœlo distant. *V. Arrian. l. 1. exp. Alex. M. De Celtica veteri conf. doctissimus*

*mus Lambecius l. 1. Bibl. Vindob. & Cluverius in  
Germania antiqua.*

VII. Cæteroquin Belgium, quod Gallicum dici cœptum est, jure antiquissimo separatas rationes habuit à Francogallia, quæ multum differt à prisca Aboriginum Gallia, minimeq; confundi debet cum Francia Teutonica, in qua prima juris capitulandi incunabula sunt quærenda, quæ tamen nullâ solidâ ratione hæctenus quæsiverunt pleriq; eruditi.

VIII. Carolus M. natus est in Francia Orientali, speciatim in Turingia trans Unstrutana, nominatim in Eichsfeldia, ut ex diplomate Fuldensi, quod primò omnium Christophorus Browerus edidit, apertissimè constat. Abavus ejus Pipinus Heristallii, quod Brabantia finibus continetur, in lucem susceptus est, unde & Heristallii cognomen tulit. Diversum est Heristallium Saxonicum, cujus mentio fit in *annal. Pithean. 798. & apud monachum Ecolismensem p. 258.*

IX. Ineptus autem judicii que civilis planè expers sit, qui ea de causa Carolum M. Thuringum nuncupandum esse censeat.

X. Nihilo meliùs sentiant oportet, qui aut Gallum sine adjectione, aut Germanum tantummodo nominant: revera enim nec Gallus fuit, nec Germanus accuratè nominatur.

A 3

XI Pro-

XI. Proinde quum imperium Romanorum jure pacti adeptus est, nil eo nomine tituloque Germanis acquisivit.

XII. Fuit quidem utraq; Francia, Orientalis & Occidentalis, in ditione imperioq; Caroli M. sed jure finibusq; utraque semper discreta fuit, alteraq; etiam prerogativam loci ordinisq; ad-  
epta est, ut vel sic intelligi possit, Franciam Ori-  
entalem non fuisse partem appendicemq; Franco-  
galliae, tanquam belli jure ad eam adjuncta esset:  
quod multi reruq; ignari de Saxonia prodiderunt,  
quali à Carolo M. in provinciam redacta esset.

XIII. Neque hodierni reges, quos cum vul-  
go ipsi nos etiam Galliae reges vocitamus, accu-  
ratè hoc nomine ornantur, neque id receperunt  
unquam, aut ullo vero priscoq; monumento in-  
strumentoq; publico germano & probato ita sunt  
cognominati. Ut ne à limine quidem histo-  
riam salutaverint, qui à Carolo Calvo id repe-  
tere audent, etsi illi perpetuo divisionis pacto  
Francia occidentalis est attributa.

XIV. Extra omnem dubitationem est, Gal-  
liam Belgicam, ratione cujus atq; regni Arelaten-  
sis, quod nondum desit civiliter à Germania pos-  
sidari, Pontifex atq; Princeps Trevirensis Archi-  
cancellarii, sive ut veteri ævo loquebantur, Ar-  
capellani munere perfungitur, Germanicæ esse  
ditionis.

XV.



XV. Idemq; jus *metropolitanum* in Episcopatibus Metensi, Tullensi & Virodunensi etiamnum conservat, etsi supremum imperium dominiumq; illorum regi Francogallico cessum attributumq;ve fuit, *Inst. Pac. Monast. §. primo quod.*

XVI. Ratio ejus pactionis fuit, quòd alioqui Pontifex primæ Belgicæ nullos habiturus fuisset Episcopos suffraganeos, quod absurdum erat nulloq; modo admittendum.

XVII. Præterea cessio supremi domini eodem *capite, primò quod*, facta, non proferenda est ultra fines, in quos descripti sunt prædicti episcopatus suffraganei Metensis, Tullensis & Virodunensis, propterea quòd I. cessiones sunt stricti juris: II. cessio illa pariter explicata & definita est, ut ultra ambitum districtumq; nominatorum episcopatum ne porrigatur: III. instituto pacilentium convenit hæc expositio: IV. in pactionis hujus §. ita declaratur atque determinatur. V. in conventu legatorum Monasteriensi hanc in sententiam ratio est allata. VI. Nec aliter in conventu Osnabrugensi cœpta est declaratio Ordinum Imperii. VII. Congruit cum mente arbitratorum Ratisbonensium, quibus Rex Gallicæ permisit hujus controversiæ judicium, etsi ob bellum postea ortum, atque in Germaniæ

maniarum fines translatum, nondum subsecutus est  
eventus. VIII. Argumentum hujus interpreta-  
tionis positum præcipuè est in verbis, *Et nominati-  
tim Mojenvicum.* Etenim dum *Mojenvicum,*  
quod nominatim exprimitur ad præcedendam  
litis occasionem, includitur finibus trium dicto-  
rum Episcopatum, inde à contrario est colli-  
gendum, comitatus principatusque extra ambi-  
tum illorum Episcopatum sitos excludi. IX.  
Iniquum enim est, ab rege solo sumi potestatem  
interpretationis, præsertim quum ipse est inter  
partes litigantes, jureque & judicio gentium expe-  
riri necesse habet. Estque hoc tale caput, ut in  
conventu pacis causa Neomagi instituto summa  
cum ratione prudentiaque confectum dari oport-  
teat, habeantque Cæsaris & Fœderatorum lega-  
ti, in quo elaborent atque enitentur. XI. Sum-  
ma controversiæ huc spectat, ut planè moreque  
pragmatico loquar, eos tractus & provincias, quæ  
sitæ sunt extra districtum episcopatum Metensis,  
Tullensis & Virodunensis, continenturque adeò  
finibus regni Germanici, quod vulgò imperium  
vocant, non pertinere ad pactum *translativum,*  
quo regi Francogalliæ cæsum est supremum jus  
ac dominium trium illorum episcopatum, sed  
excludi ab illa nominatorum episcopatum ces-  
sione, prorsusque eo loco esse, quo sunt *immediati*  
*Status,*

*Status*, ejusmodi provincias, quamlibet dictis  
Episcopatibus lege beneficiaria obnoxias, dege-  
nerasse à superiori *qualitate*, *feudaq; hereditaria*  
fieri cœpisse, & forum non alibi, quàm in Ger-  
mania, in cujus ambitu extra fines nominatorum  
episcopatum sita sunt, sortiri.

XVIII. Sed mitto hæc, quæ publicam nostro-  
rum temporum causam attingunt, redeo quæ ad  
Belgicam, quæ etsi Germaniæ jure & legibus con-  
jungi cœpit, tamen Plinius & Augusti scriptores  
Germaniam cisrhenanam inferiorem à Belgica  
strictè accuratèq; sumta distinguunt.

XIX. Primam Belgicam incolunt Treviri,  
quorum apud scriptores priscos mentio per est  
frequens, constatq; insuper, caput rerum ibi fu-  
isse Augustam Trevirorum, ubi quondam & do-  
micilium Romanorum Cæsarium, & officina quo-  
que numaria fuit: alterum ex Ammiano Marcel-  
lino, Juliani expeditionis comite, testeq; ocula-  
to liquet, alterum probant numi in urbe Trevi-  
rorum cusi, qui ostendunt has literas: P. TR. id  
est, pecunia Trevirensis.

XX. *Τριβαρίων* apud Strabonem, quem Geo-  
graphum historicum appellare liceat, meâ & mul-  
tis rationibus argumentisque innixa opinione  
mendosè leguntur, *Geograph. l. 4.* Agit enim  
ibi de Tungris, qui propius à Rheno abunt, nun-

B

quam

quam enim leguntur Trivagri, etsi in antiquis  
codicibus Latinis, Triusgros invenimus. Con-  
tra apud Dionem restituenda est lectio *ρεενηγων*,  
quos vulgo, sed perpetam exprimunt, *ρενηγων*, re-  
tinetque corruptum hoc vocabulum G. Xylan-  
der, rectè autem per Treviros interpretatur, *l.*  
*XXXIX. p. 113.* Eam, perinde ac Belgicam, primæ  
ætatis reges Francorum eripuerunt Romanis, fu-  
itque ibi sedes quædam priscorum bellorum,  
*Hirtius de B. G. lib. 8. Ammianus Marcellinus l. 15.*  
*Rorico monachus l. r.* Ex Vopisco potest intelligi,  
imperante Tacito non aliter, quàm Romã trans-  
alpinam fuisse habitam, omnibusque Belgicæ &  
Germaniæ urbibus, Remisque ipsis, & Colonia  
Agrippinæ prælatam, postea autem, quàm Ro-  
mani domicilium soliumque Arelatum transfer-  
rent, populis transrhenanis cesisse in prædam,  
quasi datum esset hoc omen Francis Galliæ po-  
tiundæ. Absurdus est Guil. Kyriander, qui ultra  
Romanorum tempora ultimas urbis origines  
profert, *Commentar. de Aug. Trev. p. 2. seq.*

XXI. Archiepiscopatus Trevirensis, sive pon-  
tificatus Mosellanicæ nunquam fuit Francogalliæ  
jure clientelari obnoxius, falsusque nuper & inanis  
eam in rem sparsus est rumor à Francogallis, qui  
quemadmodum à tempore Ludovici XI. Belgi-  
cam Burgundiamque ad Francogalliam adjun-  
gere

gère in animo habuerunt, superioriq; ævo, cum  
regnaret Henricus IV. rursus destinarunt, nuper  
etiam, auspiciis hodierni regis, tale consilium  
confectum dare voluerunt, ut cum Carolo Ca-  
spare Electore Trevirensi veluti cum Principe cli-  
entelari agerent, postularentque ab eo, ut sibi tra-  
deret Confluentiam & Ehrenberti castrum, præ-  
sidiumque Cæsareum amoveret, atq; adeò Chri-  
stophori superioris Archiepiscopi, qui rerum po-  
tente Ludovico XIII. se in Gallicam clientelam  
dederat, fortunam subiret, exemplumq; imitare-  
tur. Auctor est Fr. Belcarius, Ludovicum XI.  
Provincias Burgundicas, quo jure, quave injuria  
invadere constituisse, in quas alioqui ipsum nil  
juris habuisse, non diffitetur Phil. Cominæus, ta-  
citeq; subindicat, Ludovicum XI. qui justo æquo-  
que connubii titulo eas ad Gallicæ gentis Princi-  
pem deferre, & quod hinc sequitur, devolvere  
ad regnum potuisset, vindictæ cupiditate incen-  
sum, domus Borgundicæ bello delendæ consili-  
um atq; cogitationem suscepisse, *ille lib. 3. Com-  
ment. Gall. hic lib. 8.* De Henrico IV. Burbonio  
prodit Angelus Galluccius, in spem venisse Belgii  
ad reliquam Galliam rursus adjungendi, id est,  
Belgicam Gallicam in regni Francogallici fidem  
ditionemque redigendi, *de bell. Belg. part. 2. l. 20.  
p. 463.* Dudum vero hoc intellectum est F. Bel-  
gis,

gis, quibus non expediebat, ut Hispani planè  
frangerentur, atq; ex universo Belgio abigeren-  
tur, *Johannes Sande Belg. hist. epitom. append. pag.*  
*408. seqq.* Nec aliud Barneveldii propositum fu-  
it, cum inducias ab rege Hispaniæ oblatas mini-  
mè respuestas censeret, quibus tamen Mauritius  
Auriacus à mente consilioq; Henrici IV. non ali-  
enus summopere est adversatus. *Auctor phospori*  
*Austr. part. 2. p. 183. Galluccius p. 456.* Causa  
Christophori, Pontificis Belgicæ primæ, in odium  
Ferdinandi II. suscepta, speciosisq; rationibus ad-  
ornata, colorem defensionis tunc, revera autem nu-  
per oppressæ libertatis effectum exitumque ha-  
buit, *Adolph. Brachel. ad an. 1632. Casarinus Eur-*  
*stenerius de suprematu Princip. Germ. cap. 61. Pe-*  
*trus Valckenier in perturbat. Europ. part. 2. p. 99.*  
*& part. 4. p. 407.* Quod malo suo didicit Caro-  
lus Caspar, cui multis oneribus molestiisque de-  
functo, posteaque mortuo fides & constantia de-  
cus præmiumque immortalis laudis rependunt,  
quippe qui cum in sententiam regis Francogal-  
liæ sese adduci non pateretur, & quamobrem id  
non posset, graviter copioseque exponeret, pro  
hoste habitus, & fortunis possessionibusq; ever-  
sus, Augustam Trevirorum hostis licentiæ relin-  
quere necesse habuit, non ignarus destinationum  
regis, quæ eò spectabant, ut bellum in Germanos  
trans-

translaturus, Rheni Mosellæque itinera in potestatem redigeret, occupatoque Traiecto ad Mosam, victorias magis magisque proferret.

XXII. Illud verò neminem, etiam modicè actorum eventorumque nostri seculi peritum fugit, Henricum IV. cui magni nomen additum est, ab eo tempore, quo fessam discordiis Francogalliam ab interitu vindicavit planeque corroboravit, de Belgio, quod ægrè nuper coaluerat, debilitando statim consilium cepisse, ut hæc quoque viâ procederet ad Belgium Hispanicum, ditioneque regni sui conjungeret, si Batavorum armis attritum prostratumque ipsum se deinceps non regere amplius sustinereque posset: has rationes si confectas haberet, aditus quoque ad invadendos Batavos quærebatur: hinc tendere in Germaniam, specieque defendendæ libertatis Austrios, quos ab arbitrio rerum Germanicarum sejunctos esse cupiebat, invadere, roboreque eorum oppresso, ad nutum Germanos circumagere studebat: quod cum pro eo, ac volebat, effectum dare ei non esset integrum, filiusque etiam prohiberetur, quominus per patris vestigia incederet, ad ultimum Nepos Ludovicus XIV. continere se non potuit, quin avum imitaretur, consiliumque perficeret, bellumque Hispanicæ ditionis Belgis specioso non solutæ dotis *devolutionis*que titulo inferret.

B 3

Quo

Quo tempore primum expergefacti sunt Fœderati Ordines, omnemque operam, consilia & vires, fœdusque sermonibus nostri ævi celebratum, avertendo periculo, quod subactis Hispanis, sibi quoque impenderet, adhibere, advertereque animos diligenter cœperunt: quo factum est, ut in ejus regis invidiam venirent, belloque formidabili peterentur. Non poterat dubitari, quin his ea res infeliciter fuisset casura, nisi Austria advigilasset, liberandi que à periculo Belgii viam reperisset, quæ haud nesciebat laceffi F. Belgium, quò iter in finitimas Belgii Hispanici regiones aperiretur, essetque hic gradus perveniendi in Germaniam, grassandi que ad perniciem suam. Reputabat superiorum acta temporum, habita super *capitulatione* consilia, quibus sese immiscere studebant Galli, fœdusque Rhenanum, quæ eò dirigebantur, ut Cæsar impediretur, quominus Belgio Hispanico, si ab rege Francogalliæ tentaretur, opem ferret, unde res Hispanica in præsentissimum discrimen adducta est, neque eo minus periculum fuit, quod Germaniæ cisrhenanæ ex Allatia impendebat, ubi nullus æquitati locus datus, pactisque etiam, quibus decem *imperialibus* Allatiæ civitatibus de jure privilegiisque cautum erat, vis allata est, ut jam mutati in dominatum regis animi hæc sanè indicia cernerentur. Namque sacramentum  
ab



ab iis exigebat, quales ii solent & possunt, qui supremum jus imperiumque civile habent, quasi cessio supremæ earum præfecturæ eam daret largireturque potestatem, ut Civitatibus nominis jurisque Germanici pro arbitrato suo leges ferret.

XXIII. Non hic repetam, quod alibi de *postliminio Austrasie* dici coeptum est, propterea quod hæc, antequam Capetingi in Francogallia regnare coeperunt, fuit juris Germanici, neque esse nunc desinit, exceptis quibusdam ejus portionibus, quæ pacto vel in Francogallia potestatem ditionemque venerunt, vel in Lotharingia ducatum, quatenus supremo jure auctum, redactæ fuerunt, adeo ut quæ disertè in illa cessione non sunt expressa, minime pro cessis haberi possint: illa nominantur *Inst. Pac. Monast. §. primo quod: & §. sequentibus*: hæc in transactione Norimbergensi sunt definita, eoque ad Marchionatum Nomenium, aliasque ejus possessiones non porriguntur. Proinde nullum est istud *postliminium*, quod ratione Austrasie asseruit præses Senatus, sive parlamenti Francogallici in *Allatia, apud Thuldenum hist. lib. 5. p. 351.*

XXIV. Perinde id se habet cum regno Arelatensi, cujus jure Germania non excidit, neque ejus quidquam cessit attribuitve Gallis, quin & dum Helvetios, ejus regni ambitu olim comprehensos,

**E**os, in possessione, vel quasi plena libertatis & exemptionis ab imperio constituit, quædam præstanda sibi reservavit, de quibus vid: *Lundorp. A.P. lib. 7. p. 1108. collata epistola pragmatica 1676. nomine imperii ad eos perscripta*, unde perspicitur, eos præter alia, ex pacto Osnabrugæ convento teneri, ut non modò non frangant imperii Germanici pacem, sed ne connivere quidem aut permittere debeant, ut illa quoquomodo frangatur turbereturve. Tantumq; abest, ut fœdera ipsorū cū rege Gallia inita contra pactionem pragmaticam valeant, ut quoq; eo calu, quo regem istum hostem imperii judicari contingat, uti anno clō lcc LXXIV. re ipsa quidem id contigit, ex capite contractæ obligationis operam officiumq; imperio navare debeant. Sed interpellati nuper rogatiq; etiam nil tale susceperunt, salutemq; neglexerunt Comitatus Burgundia transjurana, qui vulgò liber dicitur, veraq; veteris regni Arelatensis portio, & Germanici regni membrum est, adeoq; propter eum A. clō lcc LXXIV. interceptum rex Gallia, nil præter naturalem ejus possessionem, est adeptus. Quem Comitatum ipsis finitimum, & patrocini etiam nomine obnoxium, cur minimè tuendum susceperint, rationes utilitatis fœderum commerciorumq; Gallicorum eos induxerunt, quippe nondum oblitos, amicitia locietateq; Galli-

Gailicâ sese ad libertatem contendisse, quæ post  
ea pactione Westphalica est confirmata.

XXV. Ubi non præterierim, Helvetios sal-  
tem comiter habere oportere regnum Germa-  
niæ, quod A. cl. Ioc. XLIX. sollicitârunt, ut ex-  
empti vel quasi haberentur, atq; in societatem  
pacis Westphalicæ reciperentur. Quod tale est,  
ut pleriq; subveriti fuerint, ne actione ingrati li-  
ceat cum illo populo experiri, si causam imperii  
comitatusq; Burgundici in posterum deserat,  
præsertim quum non solum propter inæstimabi-  
le libertatis beneficium, officia amicitiae vicinita-  
tisq; debeat, sed etiam ex pacto ad certa præstan-  
da, jureq; patrocinii ad defensionem comitatus  
Burgundici teneatur. Quanquam sunt, qui pu-  
tent, Germaniam non omnibus in universum ju-  
ribus in Helvetios istâ cessionis formulâ renun-  
ciasse, sed duntaxat eos in possessione, vel quasi  
reliquisse, salvis alioqui prætensionibus suis. Ut-  
cunq; autem id sit, certè Geneva, meâ quidem sen-  
tentiâ, *art. VI. Inst. Pac. Osnabrug.* non compre-  
henditur, quia cessionum interpretationes strictè  
sunt accipiendæ: tum verò urbs Genevensis non  
est *Canto*, seu pagus Helveticus, licet *Cantonibus*,  
nominatim Bernatibus, perpetuo foedere anno  
cl. Ioc. XXXVI. sese adjunxerit.

XXVI. Belgica, quatenus per pacta cessionum

C

num ejus fines non immutati sunt, totusq; circulus Burgundicus publicè ac solenniter in hodiernis Comitibus Ratisbonensibus de integro pro vero & germano regni Teutonici membro habitus declaratusq; est, promissa ei securitate, sive ut more pragmatico nominant, *guarantia*, ut communi ope auxilioq; ab irruptionibus Gallicis defendatur. Quod accidit per decreta A. clb lbc LXVII. A. clb lbc LXXIV. & clb lbc LXXVI. in Comitibus imperii facta, nuper repetita ac denuò sic confirmata, ut propugnatio ejus Circuli, in quo & Germaniæ finibus, quibus includitur, & patrimonio Austriæ gentis, ad quam antiquo jure spectat, & Hispaniæ, quæ ejus ratione juris necessitudine ac fide Germaniæ regno conjungitur, permulsum est situm. Inanes ergo simulatiq; rumores sunt, qui in eam sententiam afferuntur, perinde ac si Hispanorum mens consiliumq; sit, cum reliquiis Navarræ & Comitatu Ruscinonensi eum permutare, id est, tam insigne membrum à corpore Germanico, quod consiliorum Europæ momenta ponderat quasiq; librat, avellere, gradumq; præripere sibi ad altissimam in republica dignitatem, spemq; & occasionem præcidere foederum Germanicæ gentis, aditumq; patefacere in communis patriæ & F. Belgii fines, quod qui futurum credat, eum in publicis rebus jejune versatum esse oportet.

XXVII.

XXVII. Consilium de Circulo Burgundico integrè in fidem ditionemq; Germaniæ reducendo pro statu illorum temporum, quibus imperabat Rudolfus II. nimis serum erat, etsi cum propter familiæ suæ rationes, tum propter imperii jus causam ejus pactiois, saltem auctoritatis Cæsareæ gratia, negligere non potuit, *Cass. Ens in actione Belgii pacificatoria p. 8. Angelus Galluccius Comment. l. XX. p. 460.* Rescripserunt F. Belgæ comiter, & quibus gradibus ad libertatem pervenissent, quibusve modis eam defendissent, opemq; Cæsarum invocantes, nitentibus contra Hispanis, destituti fuissent, eoq; pro liberis se gessissent, proq; talibus à regibus rebusq; publicis haberi cœpissent, fœdetaq; cum iis pepigissent, atq; adeo possessionem libertatis constantet retinuisent, regisq; Hispanici imperio in perpetuum renunciaissent, extremisq; extrema adhibuissent, quippe qui vidissent peti salutem reipublicæ, violari jura omnium, leges pactaq; in solidum subverti, privilegiaq; eripi in universum. Postea, quàm induciæ A. cl. l. c. IX. fierent, non contradixit Cæsar, passusq; ve Hispanos pacisci, nec rebus, neq; consiliis est adversatus, ut hinc conjectura capi posset, non improbare eum, quod ab Hispanis in ea causa ageretur, quorum ea tunc fortuna erat, ut nil subsidii expectarent

C 2

à tali

à tali Cæsare, in quo & voluntatem, & facultatem  
juvandi partes suas desiderabant, eoq; alium Cæ-  
sarei regiminis statum optabant, nec obscure in  
spem novi successoris erigebantur. Proinde  
non est simile vero, nec fide eventorum compro-  
batur, quòd nuper dici cœptum est, spectasse id  
Cæsarem Leopoldum, ut F. Belgium denuò Ger-  
maniae illigaret, quippe qui satis habet, suâ & Hi-  
spaniæ Germaniæq; causa impedivisse, quomi-  
nùs fœderatæ provinciæ ab rege externo prædæ  
loco acciperentur. Etenim pace Monasteriensi  
A. cl. l. c. XLIIIX. jura, leges, libertas F. Belgii,  
non contradicente Cæsare, cujus alioqvi interfu-  
isset contradicere, plenè integreq; firmata, unde  
converso in Austrios studio, Gallos minùs æquos  
habuit. Quamquam haud negaverim, Italiæ regu-  
lis rebusq; publicis ad securitatem profuturum,  
si arctiori fœderis jure se cum Germanis socia-  
rent, ut, quotiescunq; opus est, mutuâ ope viri-  
busq; conjunctis sublevare se tutariq; possent,  
præsertim quùm ea rerum facies est, ut præpotens  
vicinus rex, qui Genuam, quasi clavem Italiæ in-  
festat, toti fere Europæ sit metuendus.

XXVIII. Nec verò novum atq; inusitatum  
est, ut ex Belgica dominatus instruendi ratio pro-  
fecta fuerit, quòd certis documentis probari con-  
ficiq;

ficiq; possit, Carolum audacem, quum spreta imperatoris Friderici III. auctoritate, invaderet Lotharingiam, sine qua Galliae Belgicae regnum conflare non poterat, hanc potiunda monarchiae viam maximo cum detrimento Germaniae iniisse. *V. Franciscus Belcarius Comment. rer. Gall. l. 2. p. 54.* Haud temere faciat, qui cum rebus actisq; Caroli audacis superiorum annorum gesta comparaverit, quae unumquemque moneant, quid & quantum ex praeteritis liceat de instantibus judicare.

XXIX. In Belgica secunda, nominatim Aquisgrani, jus *diocesatum* habet Pontifex Germaniae II. sive Archiepiscopus Ubiorum, qui Coloniensis hodie ab urbe Agrippina, veteri Romanorum Colonia, nominatur. Quae cur in *Notitia imperii*, quae meae quidem opinione A. CCCC. XXXIX. confecta est, omissa fuerit, non est, quod miremur, quum eo tempore in Francorum fide ditioneq; esset. Nam quod Urbem Aquisgranensem attinet, ejus origines a primordio regni Carolovingici sunt repetendae, quod tale est, quamobrem intelligi possit, in *notitia imperii* eam minimè quaeri oportere.

XXX. Diploma, quod Aquisgrano concessum vulgò putant, vendicantq; Carolo M. quodque anno dñi c LXVI. à Friderico Enobarbo,

fabulosi istius ævi opinione decepto, est confir-  
macum, nec formam styli curiæ Carolovingicæ  
consentientem, nec verum probumq; antiqvita-  
tis documentum ostendit. Extat in fastis Belgi-  
cis & Burgundicis p. 54. seq. apud Aub. Miræum,  
discipulum quondam Justi Lipsii, de cuius dicendi charactere  
hoc unum addimus, quod novus sit minimèq; pragmaticus, &  
nullo etiam idoneo charactere Laconico expressus, nullaq; ratio-  
ne imitandus. Ex qua causa etiam ab historicis acerbè nota-  
tus est, cuius insectationis summa est apud Jul. Caf. Bulengerum  
bist. l. XII. p. 389. Mitiùs de eo pronunciavit Angelus Galluccius  
com. de bell. Belg. part. 1. p. 554. qui eum in propria dicendi genere  
familiam ducere affirmat, quod ultrò admittimus, si de novo  
& non usquequaq; Romano intellectum velit, sin de proprio,  
characteris idonei Romaniq; ratione intelligat, characterum  
dicendi differentias haudquaquam est assecutus. Neq; hic satis-  
facit Gaspar Ens bist. rer. Belg. lib. XXVI. p. 404. 405. Qui vir  
quidem aliàs doctus & prudens, sed in hoc genere, quo eruditio-  
nis interioris momenta ponderantur, Lipsii elogio minime fa-  
cit satis.

XXXI. Nihilo rectiùs de Aquisgrano existi-  
marunt Conradus Peutingerus, & qui hunc secu-  
tus, Nicolaus Reusnerus, in urb. imp. p. 25. Res  
eò redit, quòd caput sit Galliæ Belgicæ, instarq;ve  
Romæ tertiæ & transalpinæ, apud Alcuinum Al-  
binum in poemate de Carolo M. Nitbardum bist. l.  
IV. sub initium, qui sedem primam Franciæ no-  
minavit, ubi Carolus & excepit & audivit legatos,  
& à Græco Romanorum legatis etiam Imperator  
& Basileus, quod elogium aliis regibus non ad-  
deba-




debatur, sed proprium perpetuumque dignitati  
augustæ erat, Caroloque; ex superiori transactione  
conveniebat, appellatus fuit, *A. Fr. an. 812. collat.  
an. 802. & 810.* Deinde quod ibi palatium sit re-  
gium, unde Aquispalatium, & Aquisense palatium  
in annalibus Francorum semel iterumque; memo-  
antur. *V. Fragmentum Urstisianum p. 2. pag. 78.*

Haftenus quidem rectè & verè. Tum quod san-  
ctione Carolina constitutum sit, ut regum Ger-  
maniae inauguratio non alibi, quam Aquisgrani  
peragatur: quæ sententia nullo vero germanoque;  
monumento fulcitur, nec tabulis, seculo XII. con-  
fectis, doloque; malo suppositis, probatur. Posthæc,  
quod propter eam Archiepiscopo Germaniæ cis-  
rhenanæ inferioris jus consecrandi Cæsaris, qua-  
tenus regis Germaniæ, sit concessum. Quod pa-  
riter nullo antiquitatis testimonio evinci potest,  
ratioque; & eventa huic sententiæ adversantur. *Ra-  
tio*, quia pontifex Germaniæ primæ, qualis est  
Moguntinus, dignitate sedis munerisque; in Germa-  
nia maximus, more aliarum Christiani nominis  
gentium jus præcipui quoque; in hac consecrationis  
causa tutari potius, quam negligere voluisse ar-  
gumento *juris primatque Ecclesiastici* in Germania ei  
*competentis* judicatur. *Consecrationis*, dico, quip-  
pe quæ actus est sacri ordinis, neque; cum inaugu-  
ratione, sive coronatione paria facit, quod vel uno  
Hludo

Hludovici pii exemplo doceamus, *An. Franc. Pitb. an 817. Eventa*, quia constat, nec omnes Germaniæ reges Aquisgrani consecratos, nec eos etiam omnes, qui ibi consecrati sunt, manu operaq; Coloniensis fuisse consecratos. Solet quoq; huc afferri exemplum Sigfridi Moguntini, ut qui Aquisgrani Fridericum II. coronasset, *Petro Merffaus anal. Archiep. Mogunt. examen iteratarum vindic. juris coronandi pro Archid. Colon. p. 27. Conf. auctor fragmenti veteris apud Urstisium, p. 2. p. 89. qui inaugurationem Aquisgranifactam tradit.* Nisi tamen id auctoritate *Steronis* convelli potest, qui locuples testis est, Fridericum II. apud Moguntiam solenni ritu esse consecratum, *annal. ad an. 1213. ex edit. Henrici Canisi.* Utcunq; sit (omnia enim cumulare, immensi res esset operis) hæc controversia A. cl. Ioc. LII. II. X. Quintil. confecta, sanctioneq; Cæsarea Leopold. §. 37. confirmata est hunc in modum, ut prædicti Archiepiscopi atq; *Electores* in civitatibus suarum *diocesium* separatis rationibus atq; soli hæc munia obeant, extra dioceses autem jure alternarum ea consecrandi dignitate fungantur, insigni quidem, ut opinor, æquitatis temperamento, quod ad faciendam inter utrosq; concordiam valuit, datusq; est Coloniensi Maxîmiliano Henrico honor auspiciandæ *coronationis*, ut testaretur Johannes Philippus Moguntinus, totum hoc se paci remittere, rependereq; beneficium suæ sedi. Satis prudenter, ut aliàs solebat, dū viveret ille nostratis Germaniæ Cato, fato tamen suo non satis cautus erga Francogallos, qui anno cl. Ioc. LXXIII. ab eo talia postularunt, quæ & libertati communis patriæ, & honori Principis *Electoris* adversabantur.







29

B. V.

# ITIONES PRICÆ,

candum

roposita,

IDE

## SAMUELE

## LEISCHIO,


n Prof. Publ.

## OPH. REMLINGIO,

## ONO,

R.

ori, M DC LXXVIII.



BERGÆ,

NI SCHRÖDTERI.